

tempestate quassata, nunc tandem portum salutis attigerit et pacatis sevientibus procellis debita et desiderata tranquillitate letetur. Sane duodecimo kalendas instantis mensis augusti de mandato charissimi in Christo filii nostri Friderici illustris Romanorum imperatoris filius marchionis Alberti, vir nobilis, magnus et potens et camerarius ipsius imperatoris, presentibus principibus ecclesiasticis et etiam secularibus Teutonici regni, publice 5 in anima eius in presentia nostra coram innumerosa hominum multitudine prestiterunt tactis sacrosanctis euangeliiis iuramentum, quod, postquam idem imperator veniret Venetias, omni questione et contradictione sopita pacem ecclesie, sicut per fratres nostros et principes suos disposita est et tractata, et pacem charissimi in Christo filii nostri Vuillelmi illustris Sicilie regis usque ad quindecim annos et treugam Longobardorum usque ad sex annos 10 in anima sua et etiam a principibus suis faceret, sicut in scripto pacis et tregue continetur, iuramento firmari et principes Teutonici regni scilicet venerabiles fratres nostri Magdeburgensis, Coloniensis et Christianus dictus Moguntinus archiepiscopi et quidem alii in anima sua pro se iurare fecerunt. Nono vero kalendas augusti prefatus imperator, sicut tractatum fuerat et dispositum, venit ad ecclesiam beati Nicolai, que per unum milliare 15 distat a Venetiis, et ibi tam ipse quam archiepiscopi, episcopi et alii principes Teutonici regni abrenuntiantes schismati per fratres nostros episcopos et cardinales de mandato nostro presentibus quibusdam aliis absolutionis beneficium meruerunt. Deinde venerunt Venetias et ibi ante ecclesiam beati Marci predictus imperator innumera multitudine viro- rum et mulierum presente, alta voce reddente gratias et laudes altissimo, nobis, sicut 20 summo pontifici obedientiam et reverentiam humiliter et reverenter exhibuit, et recepto a nobis pacis osculo nos devote dextravit et cum reverentia, qua decuit, et devotione usque ad altare in ecclesiam introduxit. Sequenti vero die in festo beati Iacobi ab eodem imperatore rogati ad predictam ecclesiam sancti Marci solemniter celebraturi missarum accessimus et nobis illuc venientibus prefatus imperator extra ecclesiam obviam venit et 25 dextero latere nostro devote suscepto nos in ecclesiam introduxit et peractis missarum solemnibus nos usque ad ipsius ecclesie portam dextravit et, cum ascenderemus palefredum nostrum ibi paratum, stapham tenuit et omnem honorem et reverentiam nobis exhibuit, quam predecessores eius nostris consueverunt antecessoribus exhibere. Erit itaque sollicitudinis vestre nobis et ecclesie in prosperis successibus congaudere et effectum pacis 30 aliis devotis ecclesie filiis aperire, ut hi, quos zelus domini domini tangit, de pacis munere divinitus dato in domino gaudeant et exultent. Data Venetiis in Riivo Alto septimo kalend. augusti.

## 416.

*Graf Dedo beschwört den zwischen dem Kaiser Friedrich I., dem König von Sizilien und den 35 Lombarden zu Venedig abgeschlossenen Frieden.* [1177 Juli.]

*Gedr.: Mon. Germ. Leg. II. 153.*

*Anm.: Vergl. wegen der Datirung Prutz, K. Friedrich I. 2,322.*

Ego comes Dedo iuro, quod domnus imperator mandavit mihi, ut in anima sua iurarem iuramentum, quod nunc facturus sum et postquam mandavit, non revocavit 40